

§ 53. *Plaustris avecta exportataque esse.*

Animadvertisamus plerasque apud M. Tullium compositiones non lascivire, sed ad rigorem vetustatis inferri. Quod autem pertineat ad virtutem partis huius, non intulit nominatim signa, quot abstulisse Aspendo videbatur, 5 sed cum generaliter dixisset *plostris*, ait *exportata esse*, ut de qualitate vehiculorum appareret multitudo eorum quae plostris avecta sint.

Aspendium citharistam.

Simulacrum dicit huius citharistae abstulisse Verrem. 10 Fuisse autem fertur tantae subtilitatis, ut non exerta manus nervos citharae impelleret, sed perquam occultis motibus, ac propterea proverbialiter dictus est 'in se canere' solitus. Simulque orator χαριέντως, *ut illum ipsum*, inquit, *artificio superasse videatur* callidiores videlicet ostendens 15 hunc in furando quam illum in psallendo.

§ 54. *Quae, malum, est ista audacia atque amentia?*

Ne infringescat impetus accusationis, postquam breviter multa proposuit, adicit locos vehementes ad augendum, ut iudex, postquam didicerit, inflammetur; congregata enim 20 debent esse haec officia dicentis et maxime in accusationibus, ut indignationi calor subiciatur.

Neque in suburbana amicorum.

Hortensium praecipue videtur significare, qui huiusmodi signis et tabulis pictis familiariter delectabatur. 25 Id manifestius in Hortensio ostendit dialogo: *Cum in villa Luculli *bellum esset omni apparatu venustatis ornatum.*